




~~Ob. für NK 4570~~

Zu 

Da  
Le  
Angehöriges



19  
PRORECTOREM MAGNIFICVM  
PATRESQVE AC CIVES ACADEMIÆ

AD  
DISPV TATIONEM  
INA VGVR ALEM

Clarissimi summorum in utroque Jure  
honorum Candidati,

GOTTFRIDI HENRICI  
VOELCKELII,

DRESD.

Ea qua par est observantia  
Invitat

MICH. HENRICVS GRIBNER  
Ordin. Jur. h. t. DECANVS.



PROFECTORUM MENTITIONE  
PATERNALE

DISERTATIONEM  
IN AVORALIA

Class. in ...  
... ..

GOTTFRIDI HENRICI  
VOELKELII

... ..  
... ..

MICH. HENRICI GRIBNER  
Ordin. Jan. in DECANVS







Um prima hæc Ordinis nostri causa scribendi occasio mihi offertur, materiam annales præstant, quibus ea, quæ per singula semestria geruntur, laudabili & a majoribus per manus tradito more diligenter ab ultimis hujus almæ originibus fuerunt consignata. In his enim cum ad annum 1502. auspiciâ Senatus Juridici ad sapientissimam Academiæ nostræ conditorem Fridericum referri eundemque *Præfectum Prætorio* appellari deprehenderem, quæ causa fuerit, cur Viri boni hac appellatione Principem Electorem denotarent, inquisitione diligentiore non indignum iudicavi. Subiiciam ipsa annalium verba, cum in



antiquis monumentis non parum referat nosse, quo ordine quodvis dictum fuerit ad sensum per conjecturas facilius eliciendum. Ita vero illi: *Anno Domini millesimo quingentesimo secundo in die Sancti Lucæ inthronisata est alma Academia Vitembergensis & per Julium Secundum & Maximilianum Romanorum Regem confirmata ad instar omnium (a) aliorum Gymnasiorum. Quæ recta & gubernata fuit certis statutis, quibus singuli beneficio illustrissimorum Principum DEI gratia Friderici Sacri Rom. Imperii Electoris PRÆFECTI PRÆTORIO & Joannis Ducum Saxonie & r. Et sane*

(a) Ex hoc loco non obscure colligas, omnes olim Academias & ab Imperatoribus & a Pontificibus fuisse confirmatas. Quam conjecturam sicuti exempla Lipsiensis, Rostochiensis & aliarum Academiarum satis reddunt probabilem; ita nescio, an probari possit, quod BRUNNEMANNUS tradit *Jur. Publ. Diss. 5. tb. 6.* Status Imperii, Gymnasia nova condere cupientes magis de Pontificis privilegio, quam de Imperatoris confirmatione fuisse sollicitos. Neque enim exemplum dari potest uniuersalis studii absque autoritate Imperatoris constituti, unde nec Fridericianæ Academiæ tabulæ Pontificis antiquæ profuerunt, cum Imperatoris privilegii ea destitueretur.



fane non multum abfuit, quin indignarer JCtis,  
noſtris majoribus, quos exiſtimabam, privata  
autoritate abſque Principum noſtrorum & Im-  
perii Ordinum ſuffragio ex nimia legum Ro-  
manarum veneratione titulum forte rei, quam  
exprimere debebat, eminentiæ non fatiſ con-  
venientem Divo Friderico tribuiſſe. Neque  
enim ignorabam elegantias ac floſculorum ex  
Jure civili per univerſum Jus publicum priva-  
tumque Germanicum ſparſiones, memineram  
diu fatiſ in ea perſaſione dicam, an errore le-  
gum civilium hæſiſſe interpretes, *ſtatum Im-  
perii* noſtri non rectius, quam *ad imaginem* &  
ut ſic loquar, *ideam Romæ veteriſ* aut alterius  
exprimi poſſe, neque ulla nomina magiſ rebus  
noſtris eſſe convenientia, quam quæ ex *Codice  
Juſtiniano*, ex *Jure Romano* aut aliis *Latii &  
Græciæ* veteriſ monumentiſ peterentur. In  
mentem veniebat ab illiſ *Capitulationum* ex fa-  
bula *legiſ Regiæ*, *matricularum* ex *breviario  
Auguſti* (b) *Vicariorum* a *præſectiſ urbi* (c)  
origines revocari, *ordinationeſ Provinciæ*  
*Prætorum Edictiſ*, ex quibuſ descendens pœ-  
a 3 naliſ

(b) vid. KULPIS *ad Monz. P. 7. c. 2. §. 2. p. 215.*

(c) vid. BECHMANN *de Vicariatu Imperii*  
c. 2.



nalis actio intra annum expiret (d), *Imperii* vero *Placita S<sup>C</sup>tis* (e) comparari, ac ut, plura alia non parum claudicantia similia omittam, *Præfecto Prætorio*, modo *Principes Electores* & reliquos, a quibus appellare non licet, modo *Vicarios Imperii* (f), sed & *Camerae Judicium* & magis *Aulicum Cesarium*, ob commune scilicet supplicationis beneficium, quod ab utriusque sententia conceditur, exæquari. Quem morem eo inprimis tempore, quo publici Juris studium minus excolebatur, sectatos fuisse credidissimè antecessores priscos, nisi ipsa antiquissima statuta a sapientissimo Principe Collegio nostro clementissime concessa perlegenti, præmissus Principis, quem hic subjicio, titulus alia omnia persuasisset. *DEI gratia Federicus, Dux Saxonie, Sacri Imperii Elector & PRÆFECTUS PRÆTORIO, Landgravius Toringie, Marchio Misne & r. reverendo & egre-*

- (d) SCHNEIDEW. ad §. 1. 7. de Obl. n. 5.  
JASON. ad l. 5. de V. O. n. 10. BORCHOLT.  
de feud. c. 5. num. 37. conf. MYLER. Archol.  
c. 23. §. 1. ZIGLER. de Prætor. tb. ult. D. MEN-  
CKEN. Gymn. Pol. Contr. Jur. civ. disp. 1. th. 5.  
(e) vid. D. SCHOEPFFER. ad r. de Legib.  
num. 3.  
(f) BECHMANN. l. c.



egregio Domino Johanni Mugenbofer Doctori  
Præposito (g), nec non Priori & Senatui Consul-  
to Gymnasii nostri VVittenburgensis salutem.  
Scriptæ sunt literæ Divi Principis anno secun-  
do sæculi decimi sexti, quo ipso Academia hæc  
illius & Cæsaris ac Pontificis auspiciis institu-  
ta fuit: eandemque Præfecti Prætorio appel-  
lationem in literis ad Priorem & Senatum Me-  
dicum, ad Decanum & Senatum Philosophicum  
anno 1509. datis (h), nec non in iis, quibus  
privilegia Universitatis confirmavit anno 1508.  
(i) retinuisse eundem Principem postea depre-  
hendi. Itaque ubi publica autoritate in mo-  
numentis fide dignissimis adhibitum titulum ob-  
servavi, id solum superesse putavi, ut, quid eo  
nomine exprimere voluissent, & Princeps Se-  
renissimus et majores nostri indagarem. Oc-  
cur-

(g) Præposito scilicet *templi omnium Sancto-  
rum*, quod annales nostri ad annum 1508. quo  
Decanatum Ordinis Juridici tenuit, me do-  
cent.

(h) Titulus Principis in iis, quæ ad Ord. Philo-  
sophicum scriptæ sunt, ita se habet: *D. Gr. Fæ-  
dericus, Dux Sax., S. Imp. PRÆFECTUS PRÆ-  
TORIO Elector, Landgravius Thoringiæ, Marchio  
Misnæ Decano & Senatui Philosophico gratiam.*

(i) vid. SENNERTUM. *Atben. c. 5. pag. 46.*



currebant enim animo non modo septemuiralis dignitas, sed & Ducum Saxoniae privilegium, quod omnem provocationem excludit, tum singularis eminentia huic Electori propria, qua Vicarius Generalis Imperatoris dictus fuit, ac sublime denique Archi-Mareschalliae fastigium, quae dubium reddere poterant, quorsum hoc insolitum axioma pertineret. Sed quo minus ad Electorale culmen appellationem Praefecti Praetorio referre liceret, vel solum hoc sufficiebat, quod idem elogium in titulis illis exprimeretur, cumque & Ducis Saxoniae nominatim fieret mentio, facile apparebat, nec Ducatum hunc, nec privilegium de non appellando respexisse Principem Electorem. Vicariatus tamen extraordinarius, quo per bene multos annos Fridericum praefuisse Imperio & solum excluso Palatino locum Imperatoris tenuisse constat (k), facile persuasisset, ut honori singulari extraordinarium quoque encomium datum censuissem, nisi eo tempore, quo alma haec erecta fuit, quo literae Electorales scriptae sunt, regimentum Imperii desuisse, adeoque & dignitatem hanc cessasse,  
ac

(k) vid. inprimis JO. JOACHIMI MUELLERI  
*Reichstags Staat Lib. 5. & lib. 1. c. 2. c. 21. §. 6.*



ac titulo isto D. Fridericum non esse usum,  
conjecissem (1). In qua conjectura deinceps  
me reliquorum Collegiorum diplomata, in  
quibus Princeps Elector & *Præfectum Præto-*  
*rio & Cesareæ Majestatis locum tenentem ge-*  
*neralem* se nominat, plenissime confirmarunt  
(m). Itaque facile liquebat, ad Archi-Mareschal-  
liam Imperii, ad officium sublime Electorale il-  
lam *Præfecturam* pertinere; quod summum &  
eminentissimum munus vocabulo supremæ olim  
dignitatis non ineleganter expressum esse vide-  
tur. Licet enim in Romanorum Præfectis Præ-  
torio origines augusti illius officii quærere non  
magis conveniens videatur, quam si quis ab  
Augusti Imperatoris ætate (n), aut ab ipsis  
Scythis (o) ejus repetere velit initia: dudum  
tamen obtinuit a rerum Germanicarum scri-  
b pto-

(1) Ex iis, quæ habet MUELLER. *l. c. c. 23.*

(m) Ita habent literæ ad Ordinem Medicum &  
ad Academ. apud SENNERTUM *l. c.*

(n) vid. D. PACHELBEL. *disp. de Originibus*  
*Electorum usque CHRISTI nativitate non Junio-*  
*ribus.*

(o) vid. D. THOMAS. *Mor. cum Jur. script.*  
*content. s. 57.* Ubi ex Herodoto Mareschalli, Ca-  
merarii, Pincernæ & Dapiferi origines repetit.  
Sane si ex coqui appellatione Dapiferi, ex mini-



ptoribus, qui res & nomina Germanorum exprimere ore Romano voluerunt Archi-Marescallos Præfectos aut Præpositos Palatio appellari (p), quos secutus est SCHARSCHMIDIUS (q), qui Electorem Saxoniae Jure ait *Præfectum Prætorio* appellari, cum & *gladium Imperatori præferat* (r), & summam rei militaris gerat curam. Sed hæc latius persequi ac jura & rationes utriusque dignitatis inter se conferre nec lubet, nec vacat; quamvis non diffitear, Principum Electorum Saxoniae officium eminentius longe mihi videri, quam ut mensuram ejus Præfectura Prætorio, apex licet olim dignitatum implere possit. Id tamen omittere non possum, ex literis ad Ordinem

stri mentione Camerarii Imperii initia revocare fas esset, absque negotio vel ipsos apud Chaldaeos aut Egyptios vestigia munerum istorum deprehendes. Forte & pari felicitate *Thefaurarii* officium ab illa ætate perpetuo ordine deducere liceret, si hac ratione antiquitatis opinio ei conciliari possit.

(p) vid. HAUGWIZ. *de regn. & aul. marescall.* c. 1. n. 43. p. 24. & c. 7. n. 112.

(q) *Exerc. 7. th. 23. lit. f.*

(r) Quem ritum a Præfectis Prætorio repetit etiam WAGENSEIL. *de Officialib. & Sub-official. S. R. Imp. c. 8. s. 5. p. 51.*



dinem nostrum datis apparere, non perpetuum esse, quod decus Academiae nostrae immortale SCHURZFLEISCH IUS (s). tradidit, usu pragmatico titulum Archi-marescalli dignitati Electorali semper praeferi. Dubitasse de eo jam uidetur HAUGVVIZ (t) GOLDASTI secutus auctoritatem; sed diploma, quod is excitavit, suspectum non immerito videri poterat ob rationes, quas SCHURZFLEISCH IUS adduxit, cum ab Alberto Electoris titulum in monumentis fide dignis non usurpatum esse constet (u). In reliquis tamen ad Academiam ad Senatum Medicum & Philosophicum scriptis literis video esse servatum, qui etiamnum usu obtinet, ordinem, ut Marescalliae primo loco fiat mentio, eique Electoris nomen subjiatur. Caeterum, ut hoc quoque obiter attingam, Serenissimos Saxoniae Principes Electores non modo Archi-marescalli titulum hodieque post Ducatum demum Angriae & Westphaliae collocare, sed & in antiquioribus diplomatibus quandoque demum post Comitatum *Bren* eius mentionem fieri est

b 2

no-

(s) in *Vita Albert. III. pag. 112. & p. 114.*

(t) In *addit. ad Opus de Regn. & aul. marescall. p. 694.*

(u) *l.c. add. Eund. de Vitric. Eccl. p. 1. HAUGWIZ. l.c.*



notissimum, ex eoque apparet, infirmum fatis ac nullius ponderis esse argumentum eorum, qui dum *Burggraviatui Magdeburgico* detrahere cupiunt, Jus hoc, quod in summis habuerunt semper Principes nostri, ideo leve ac non adeo dignum eorum fastigio censeant, quod ultimo fere loco inter titulos Electorales occurrat, ac in antiquis diplomatibus ei, quem diximus, Comitatus postponatur. Atque hæc de titulo *Præfecti Prætorio* a Friderico sapiente adhibito, qui eo, ut videtur, solus & forte non alibi in publicis literis usus est, dixisse sufficiat. Ipsa autem Præfecturæ Electoralis, Archi-marescalliæ, inquam, Jura attingere, ac quæ intuitu hujus muneris Saxoniam Electoribus competunt decora vindicare aut commemorare saltem, instituti ratio prohibet, quæ ad vitæ, quem honestissime peregit, cursum *Candidati Nobilissimi Gottfridi Henrici Vælckelii* majorum more strictim recensendum me properare jubet. Patriam ei nascendi fors & felicitas *Dresdam* dedit fecundam ingeniorum præstantissimorum matrem, atque hac gloria non minus quam cæteris ornamentis inter reliquas Saxoniam urbes eminentem, in qua lucem noster ante hos ipsos  
vigin-



viginti annos aspexit : *Patrem* veneratur, quem DEUS quamdiutissime ei & Publicæ rei superesse jubeat, Virum Excellentissimum *Gottfridum Vælckelium* *Jctum Potentissimi Regis Poloniarum ac Princ. Elector. Sax. in Summo Provocationum Senatu Consiliarium*, cui novos honores filii paternarum virtutum æmuli, ea qua fas est observantia gratulamur. Matrem *Annam Dorotheam* ex inclyta *Schwarziorum* gente in sexu sui decus natam. Ab ineunte ætate curæ diligentissimorum Præceptorum fuit traditus, qui ingenium per se ad virtutis & scientiarum decora omni impetu contendens, exemplis & monitis confirmarent, quo nomine plurimum se Gerardo Euzio, Jo. Friderico Lipsio & Rudigero debere gratus profitetur. Jamque Academicis studiis rite præparatus decimo sexto ætatis anno, qui hujus seculi quintus fuit, Parentum jussu *Halam* se contulit, ubi ab Amplissimo Viro *Jo. Petr. Ludwigio*, Potentissimo Regi Borussiae a Consiliis & Antecessore, qui fasces illo tempore publica autoritate tenebat, in tabulas civium relatus, ab ore Jctorum Celeberrimo



morum *Strykii*, *Thomafii* & *Bodini*, pependisse gloriae sibi duxit, eorumque & publicis commentationibus & privatis lectionibus, quibus sine intermissione affuit, multum in Jurisprudentiae studio profecit. Hinc *Berolinum* abiit, ac in Academia exercitorum equestrium causa instituta aliquamdiu commemoratus est. Postea *Lipsiam* venit, hospitio a Viro Magnifico Engelberto *Burgkio*, *Consiliario Regio* benevole exceptus, atque in hac celeberrima Musarum sede singulas legitimae scientiae partes avide persecutus est, duces nactus Viros celeberrimos, in quorum disciplinam se tradiderat, *Frideric. Philippum* & *Gottlieb. Gerhardum Titium* Ordinis Jcti Assessores amplissimos, nec non Consultissimum *Klepperbeinium* privatis scholis Digestorum Jura tradentem. Tandem ante aliquot menses ad nos accessit, ubi se totum addixit Viro Consultissimo atque Excellentissimo *Joanni Balthasari VVernhero*, Digesti veteris Professore Publico gravissimo, & Collegiorum Juridicorum Assessori Amplissimo, Fautori nostro multis nominibus colendo, cujus privatissima institutione



tionē quotidie per plures horas usus brevis  
tempore universum juris, quem vocant, cur-  
sum est emensus, siquidem is non modo, quæ  
in Lipsiensi & Fridericiana Academia hauserat,  
Candidatus noster, in animum ei revocavit,  
sed & plurimis accessionibus ejus scientiam  
legalem auxit, quare singularem fidem ac  
industriam & vere paternam benevolentiam  
Præceptoris sui Optimi me interprete publice  
voluit deprædicari. Nuper ab Ordine nostro,  
ad solenne tentamen admissus peritiæ, quam  
ex assidua & diligenti auscultatione Virorum,  
quos commemoravimus, Clarissimorum sibi  
comparavit luculentum edidit specimen. Jamque  
in eo est, ut publica dissertatione, quam proximo  
die Jovis *de maturanda domini probatione per usucapionem*  
institutum dirigente Viro Magnifico atque  
Excellentissimo Jo. Henr. Bergero, Potentissimi  
Regis Poloniæ in Supremo Appellationum Senatu  
Consiliario Ordinis nostri Præside, nec non Curie  
Provincial. Consist. Ecclesiast. Scabin. & Judic. Infer. Lusatiae  
Assessore solenniter defendet dignum se honoribus  
conferendis ostendat. Quare ut *Pro-Rector*  
Magni-



tuebitur. Cui actui solenni ut PRO-RECTOR  
MAGNIFICUS, *Patres, Proceres & Ci-  
ves Academiae* praesentia sua decus & splendo-  
rem conciliare ne dedignentur, perofficiose ac  
observanter rogo, proque insigni hac benevo-  
lencia & Ordinis nostri officia mutua, & Candi-  
dati mei obsequia & cultum promitto. Dabi  
ipsis Natal. feriis A.O.R. M DCC XIV.


VITEMBERGAE

PRELO VIDVAE GERDESIANAE.











01 A 6628


ULB Halle

002 934 787

3









19

PRORECTOREM MAGNIFICVM  
PATRESQVE AC CIVES ACADEMIÆ

AD

DISPV TATIONEM  
INAVGVRALEM

Clarissimi summorum in utroque Jure  
honorum Candidati,

GOTTFRIDI HENRICI  
VOELCKELII,

DRESD.

Ea qua par est observantia  
Invitat

MICH. HENRICVS GRIBNER  
Ordin. Jur. h. t. DECANVS.

